

confectionem usque ad quingentos solidos in Ecclesiam, Xenodochium, nosocomium, orphanotrophium, vel ptochium fiunt, valent. Reliquæ vero, tamen in piâ causâs fiant, quæque amplioris quingentis solidis quantitatis esse dicuntur, exceptis Imperialibus donationibus, actorum confectione opus habent. Constitutio xxii. Quæ ex liberalitate curialis ad venerabiles domus perveniunt, a lucratiorum inscriptionibus immunia sunt. Constitutio xxiii. Siquid donatum, aut hereditas, legatumve rerum mobilium vel immobilium, in redemptionem captivorum venerabili cuiuspiam loco relictum sit; actio personalis in rem & hypothecaria competit, & sola centum annorum præscriptione (*qui horum quippiam vindicant*) rejiciuntur: hoc enim tempus diuturnæ vitæ hominis est. Constit. xxv. si quis Christum Dominum hæredem scripserit, neque oratorii appellationem addiderit, Ecclesia loci, in quo defunctus habitabat, scripta videtur. Idem etiam in legato: procedit autem (*quod relinquitur*) in alimoniam pauperum. Si vero cuiuspiam Sanctorum Angelorum, aut Martyrum reliquerit, neque mentionem fecerit domuum; tum, si quidem in illa civitate, ejusve territorio, istiusmodi domus sit, ille capit: sin minus, ades sacra quæ in Metropoli est, accipit. *Cetera. Bals. Schol.* Constit. 19. tit. 2. lib. 1. Cod. est cap. 8. t. 1. l. 5. Basilicor. quod sic ad verbum habet, quemadmodum in textu scriptum est. Nota vero, quod constit. 22. in l. 5. tit. 1. c. xi. posita est, verumtamen non ut in textu habetur, sed aliter: dicit enim; ne describatur Ecclesia, aut venerabilis domus, aut monasterium in lucrum. Observa igitur hoc, quod multum utilitatis affert, adversus eos, qui monasteria donant, & vendunt, aut emunt venerabiles domus. Constit. 23. & 25. in Basilicis non sunt positæ.

Ibid. & tit. 3. ejusdem libri, constitutio 24. aitaratum firmumque esse, quod pauperibus relinquitur. Constit. 28. ejusd. tit. valet, quod in redemptionem captivorum relinquitur. Et, si quidem testator dixerit, quis rei operam navare debeat; is exigit, & pro sua